



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 82. Dissidia inter Lutheri, & Zwinglii Sectatores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Christianis competeret, sed nonnisi Sæcul. XVI.
 gentibus a Christiana fide alienis illo A. C. 1529.
 uti permitteretur. Forte hac de caussa
 detinebatur Cadenus; nam rationibus
 haud spernendis inniti videtur, quod
 Cæsar cum illo de libelli hujus Auctore
 conferre, simulque ab eo caussas edoce-
 ri voluerit, ob quas Landgravius præ-
 fatum libellum eidem porrigere ausus
 fuisset. Ut ut res se habeat, id omnino
 exploratum habemus, quod Cadenus
 Caroli mandato parere, periculosum fo-
 re ratus, equo clam conscenso celeriter
 Ferrariam, inde Venetias secesserit, do-
 mumque reversus fuerit.

§. LXXXII.

*Diffidia inter Lutheri, & Zwinglii
 Seditatores.*

Vix Norimbergensis Senatus literas a
 Cadeno scriptas acceperat, cum il- Cochl. in act.
 lico ad Saxoniae Electorem, Hassiæ & script.
 Landgravium, ceterosque Fœderatos Luth. hoc an.
 nuncium mitteret, qui eis significaret, p. 199.
 quod Cæsar Spirense Decretum obser- Sleid. l. c.
 vari omnino decrevisset. Ea res ansam p. 201.
 præbuit percelebri Smalcaldico fœderi, Vide supra
 pro cuius firmitate præfati Principes lib. 3. n. 87.
 conventui suo circa finem Novembris & 95.
 initium dedere. Priusquam vero se
 convenirent, Hassiæ Landgravius rursus
 diffidia

Sæc. XVI.
A.C. 1529.

diffidia super articulo de Cœna Domini, & præsentia reali tollere, atque Lutheri & Zwinglii discipulos inter se conciliare tentabat. Perspectum enim est omnibus, quod Lutherus & Zwinglius usque ad annum Domini millesimum quingentesimum vigesimum quintum in omnibus aliis doctrinæ capitibus idem fenserint, tum vero solum in explicando sanctissimo Eucharistiæ Sacramento sententiis ab invicem discreparint (*); quamvis enim ambo unanimi con-

(*) Hæc Continuator ex libro Petri Suavis Polani ad verbum descripsit, prorsus autem falsa esse discere potuisset ex Pallavicino, qui eundem Auctorem in Historia Tridentini Concilii lib. 3. cap. 1. num. 3. his verbis confutat: *Verum omnino est, Zwinglium dissensisse a Luthero etiam ante annum 1525, & in altera præcipua assertione, hoc est, Originalis peccati: cum ille affirmaret quidem, ex Adami noxa posteros tanquam hæreditariam habituros fuisse vitiosam propensionem ad solum proprium bonum, quæ ad peccandum traheret, nisi eos reparasset meritum Redemptoris, sed non idcirco contrahendam ab ipsis fuisse veram culpam, verumque peccatum, sed solum quoddam metaphoricum; quatenus ea est hæreditaria pro-*
pensio

consensu affirmarent, quod Corpus & Sæcul. XVI.
Sanguis Christi Domini in Sacramento A. C. 1529.
duntaxat in usu, hoc est, quando Eucharistiam sumens credit, atque reapse illam recipit, non autem ante vel post Sacramenti sumptionem præsens adsit, nihilominus docebat Lutherus, quod hæc verba: *Hoc est Corpus meum* ad litteram sint intelligenda: ex aduerso autem affirmabat Zwinglius, illa non nisi in sensu figurato, spirituali ac sacramentali esse accipienda. Hæc contentio utrinque in dies magis magisque effervescebat, ac præcipue Lutherus quacunque data occasione cum summa verborum vehementia, ac rabie opinionem suam tuebatur.

§. LXXXIII.

pensio ad peccandum, cum qua nasci debuissent ob contagionem parentum, potuisse peccatum nominari ea ratione, qua mors dicitur pallida, quia pallorem efficit. Vide Continuatores sequenti §. LXXXIV. Hanc in rem Surius quoque in comment. hoc anno ita scribit: Sunt, qui putent, & scribant, in hoc uno articulo de Cena Domini dissidere Zwinglianos a Lutheranis, sed hoc falsissimum est, cum etiam in aliis non paucis inter se hostiliter dissentiant.